

Petrus de Vinea

*Ep. VI 8 (Licet ad quorumlibet
nostrorum fidelium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 8 (Licet ad quorumlibet
nostrorum fidelium...)*

febbraio 1252

Priuilegium concessum F. de Antiochia.

1. Licet ad quorumlibet nostrorum fidelium munifice prosequenda seruitia liberalitatis nostrae manus quadam generalitate sit habilis, illis tamen quadam specialitate sit debitor, quos in quibus sanguinis ydemptitatem agnoscimus et in quibus fidei purae constantiam inuenimus, quorumque deuotio non solum prestitis placere cepit obsequiis, sed speratur in antea potius placitura prestandis. 2. Eapropter presenti priuilegio notum facimus uniuersis, tam presentibus quam futuris, quod nos, attendentes inuiolabilem deuotionis et fidei puritatem, quam F. de Antiochia, Albae, Celani et Laureti comes, fidelis noster et frater, erga diuum Augustum clarae memoriae dominum patrem nostrum et nos constanter noscitur habuisse, considerantes etiam labores continuos et onera expensarum, quae ad honorem nostri culminis subisse probatur, necnon alia satis grata et accepta seruitia, quae ipsum laudabiliter hactenus nobis exhibuisse cognoscimus et incessanter ad presens exhibere sentimus ac eum exhibiturum pro firmo credimus in futurum, comitatum dudum sibi a domino patre nostro concessum, necnon comitatus... ad manus nostrae curiae rationabiliter deuolutos, cum ciuitatibus, casalibus, uillis, hominibus, possessionibus, honoribus, usibus, iuribus, patronatibus ecclesiarum uacantium, terris cultis et non cultis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscariis, siluis, nemoribus, uenationibus, montibus, planis, uallibus, iustitiis et rationibus, in perpetuum sibi et heredibus suis, de speciali gratia et ex certa scientia, damus, concedimus et etiam confirmamus. 3. Inhibentes et perpetuum silentium imponentes omnibus, qui comitatus predictos uel partem

eorum ad se uellent dicere pertinere, hac occasione, quod eos, ut ipsorum partem tam ipsi quam predecessores eorum aliquo tempore tenuissent.